

M-s. 1297

an f.

R

2197.6

F. A. H. Maxß
1831 oho

32

ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΑ,
SCRIPTA REVE
RENDO VIRO, PIETATE, VIR
TVTE ET ERVDITIONE PRÆSTANTI D. GEOR
*gio Maiori Noribergensi, liberalium
artium Magistro, VViteberga
discedenti.*



VVITEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.
ANNO D. M. LXII.

In curuæ fulsit specie noua Cynthia falcis
Vix toties, stellas quot Iouis ales habet:
Ex quo discedent. Arctioa fluenta reliquit,
Gottus, & Aonidum culta theatra noue m
Qui prope Saxonicum vitam cum duceret Albim,
Leucorei sulcos quâ rigat ille soli,
Sic linguam didicit solerte labore Pelasgam,
Castalij multum fontis ut ornet aquas.
Ignarisq; doli cum moribus integer esset,
Esset & ingenua mens pietate grauis:
Pars animæ fuit ille meæ, mihi summus amicus,
Ipsi frater eram, frater & ipse mihi.
Turpia nec leuibus præconia consuo verbis,
Ipsa satis locuples res mihi testis erit.
Hic mihi Leucorea cum frater abiuerit vrbe,
Lenierit longus nec mea damna dies:
Ecce noui subito luctus es causa Georgi,
Non minus ingenui fratris habende loco.
Discedens eadem dum tecta relinquis & urbem,
Fidus vbi Christi pascit Eberus oues.
Quid iuuat Aonio discedere longius Albi?
Illum quo cupies visere, tempus erit.
Tempus erit magni quo clara Lycea Philippi,
Notaq; gymnasij tecta subire voles.
Cogeris at grauib; fortasse relinquere causis
Pieriae nolens atria casta scholæ.

A 2 Quem

Quem candor, quem vera fides mihi iunxit, amico
 Damnosæ causam non decet esse moræ,
Firmiter ergo tuæ cum stet sententia mentis,
 Diua quòd hinc abiens verba docere velis:
Auspicijs dilectæ bonis ordine Georgi
 Tradere supremi iussa verenda Patris,
Prospera succedant meliore negocia fato,
 Ultima sed summo sint tibi lata gradu.
Sicut & æterna MAIORIS laude vehendi
 Vtraq; fatali nomina sorte geris:
Sic precor ingenij paribus te dotibus auctum,
 Eximij mentis dona referre viri.
Non minus ut doctis scateat tua concio rebus,
 Facundæ linguæ verba diserta fluant:
Et dulces moueant mirantia pectora gestus,
 Cum viua populus voce docendus erit.
Nominis & socios nisi dulce fefellerit omen,
 Acer erit multa non sine fruge labor.
Æterni verax hoc præstet imago parentis,
 Omnis inexhaustus fons et origo boni.
Tandem cum fato procul hinc cogente recedas,
 Quod decet & superest suauè precamur iter.
Fortiter angelico stipatus ut agmine Christi
 Optatos possis saluus adire lares.
Christi pollicitis & forti nitere dextra,
 Ipsi confisum sedula nota tegunt.

Destituor

*Destituor verbis, & pluresnectere versus
Mæsta Thalia nequit, suauiter ergo vale.*

M. Henricus Fabricius
Noribergensis.

O *Mibi Theseos inter memorande sodales,
Maior Apollinei gloria summa chori.
Norica quæ celebri fama super æthere nota
Mœnia Pegnesus quæ secat amne, iacent,
Aonidum primis (potes hoc meminisse) sub annis,
Me tibi constanti fœdere iunxit amor.
Claruit hic multos Ianus Rauschacher in annos,
Magnus ab innumeris dotibus ingenij.
Scilicet hic Latio nulli sermone secundus,
Gymnasyj rexit tradita frena manu.
Magna viri grauitas cum maiestate verenda,
Multus in ingenuo pectore candor erat.
Inuida sed terris tam felix sidus habentem,
Parca tulit, parcas nescia habere manus.
Viuit ab exequijs virtus, expersq; sepulchri
Ipsius æterno tempore floret honos.
Hoc duce Gorgonei lustrauimus ardua campi
Culmina, quæ volucer nobilitauit equus.
Hoc duce libandos præbebat Apollo liquores,
Qui de rupe fluunt more perennis aquæ.*

A 3 Dum

*Dum repeto nostri tacitus primordia amoris,
En veniunt abitus nuncia signa tui.
Quæ te tam properè nobis fortuna Georgi,
Inuida, Leucoreos linquere cogit agros?
Quæ tibi causa viæ est? non te remorantur iturum
Dotibus insignes & pietate viri?
Non subeunt animo nostri consortia cætus,
Nec tenet Alberti te pia cura tui?
Longa videbuntur mihi te sine tempora vitæ,
Annus & insolito lentus abire pede,
Tu mihi namq; animis dulci sermone leuabas,
Mæsticiæ si quid frigidioris erat.
Heu nimium (si per seriem iuuat ire malorum)
Tempora sunt fati deteriora mei.
Quæ fuit antè mihi coram percepta voluptas,
Non animo poterit plenius illa capi.
Est mihi sæpè dies dictis vultuq; diserto
Visa minor, quamuis solstitialis erat.
Nunc procul Arctoïis properas abiturus ab oris,
Nostraq; das rapidis verba ferenda Notis.
Quid iuuat infausti tentare pericula cæli?
Causa meis monitis, si petis, illa subest:
Ecce poli faciem: gladio metuendus Orion
Nescio quas diro spargit ab ore minas.
Nubila Pleiades densant nimboſa, quadrigas
Terga per Europæ sole regente proci.*

Hippotades

Hippotades claustrum reſerat, ventosq; laceſſit,
Qui fera diſcordi murmure bella gerunt.
Nauita velifero temerè qui lintea malo
Credere, & æquoreis fluctibus auſus erat,
Puppis vbi aduerſa fuerit percuffa procella,
Naufragus infidas nollet iniſſe vias:
Sic quoq; vota dabis ſed nil valitura, procaci
Turbine curſuros impediẽte pedes.
Aſt quid multa loquor? manifeſto numine pergis,
O mihi non dubia Maior amande fide.
Te tua fata vocant, quæcunq; aduerſa minantur,
Leniet arbitrio, qui regit aſtra, Deus.
Ergo age pelle moras, tecum tua vota feruntur,
Veris ab exortu dum leuis aura tepet.
Quod ſuperest, opto fatiſ felicibus vſus
Contingas patrij Norica rura ſoli.
Ito bonis auibus ſuperũm ſtipante caterua,
Sic tua tranquillas puppis habebit aquas.
Cura magiſtratus cùm te ad maiora remittet,
Et dabit optata conditione frui:
Sis memor vſq; Dei, votisq; frequentibus ora,
Præſtet vt inceptis omina fauſta tuis.
Non etenim par es proprio præſtantibus auſis
Robore, præſentem ni Deus addat opem.
Vt diuina ſacræ tradas oracula genti,
Hic labor humana non eget artis ope.

Diſce

*Disce vel exemplo superis presentibus uti
Agricolæ, tecum nomen habentis idem.
Ille suam terræ Cererem quàm credit aratæ,
Ante dat accensis thura cremanda focis.
Exoratq; Deum, gremio ut commissa fideli
Semina cum multo fœnore reddat ager.
Sic rogat: & grauidis (quid non pia vota merentur?)
Surgit in immensum messibus aucta seges:
Non aliter sancti spargis dum semina verbi,
Auxilium poscas supplice mente Dei.
Sic tua frugifera turgebunt horrea messe,
Non caret euentu, quod iuuat ipse, bono.*

Salomon Albertus

Noribergensis.

*ERgône Leucoreis Maior discedis ab oris,
Et patrium repetis, Norica prata, solum.
Illic ut doceas cœtum populosq; frequentes,
Proponens summi dogmata sacra Dei?
Hei mihi quàm tristes post terga relinquis amicos,
Qui te constanti pectore semper amant.
Sapè mihi quando repetam tua dulcia dicta,
Gutta per indignas ibit oborta genas.
Tu mihi bis senis satis es percognitus annis,
Tempore quo primùm nos sociauit amor.*

Nam

Nam te sum (noſti) complexus amore Georgi,
Hauſimus vt teneræ prima Elementa ſcholæ.
Rauſchacherus vbi Latia Graiaeq; peritus
Linguae, Palladia rector in arce fuit.
Ille vbi te ſenſit præclaros edere fructus
Indolis egregia nuncia certa tuæ,
Non mora, biſſenos te promouet inter alumnos,
Quos patriæ ſapiens ipſe ſenatus alit.
Hic iterum, placuit ſuperis, coniungimur ambo,
Sic voti compos factus vterq; fuit.
Hinc fit vt alternis certemus amoribus, atq;
Te duce firmemus fœdera cœpta, Deus.
Aonia præſtans ibi Barba magiſter in arte,
Pocula Caſtalia plena liquore dabat.
Sol toties proprio motu peragrauerat orbem,
Amphitryoniadæ tela quot aſtra gerunt,
Cum procul Arctœas à me diſcedis in oras,
Viſis & Albiacæ docta Lycea ſcholæ.
Ergo ſeiunctos alius dum ſuſtinet orbis,
Teq; alit à patrio terra remota ſolo,
En tua mœrenti mihi ſemper oberrat imago
Eſtq; tuum crebrò nomen in ore mihi.
Inuida ſed nondum potuit fortuna negare
Quod fuit in fatiſ, iungor vbiq; tibi.
Hic quoties placidas tractauimus ore loquelas,
Suauiter eluxit candor amice tuus.

B

Crederet

Credere cui vellem quandoq; tacenda referre
Cum deerant alij, tu super vnus eras.
Eheu quos nunquam potuit diuellere morsu
Lingua procax, subito distrabit vna dies.
Cum tristes (memini) versarent pectora curas,
Tu mihi præ reliquis dulce leuamen eras.
Sed quoniam pia fata volunt, sapiensq; senatus
Te vocat, hunc potius te coluisse decet.
Gratulor ergo tibi patriæ decus, ito secundis
Augurijs, dextra te regat ipse Deus.
Sparge à diuino percepta Melanthonis ore
Dogmata, quæ Verbo sunt patefacta Dei.
Stridula nec fœdæ volucris te cantio turbet,
Quæ Pandionia carmina spurcat auis.
Euryali veluti Nisus flagrauit amore,
Sic ego te sancto semper amore colam.
Antè leui grandes pascentur in æthere tauri,
Et retro fugiens Albidos vnda fluet:
Aut prius immensum non pisce natabitur æquor,
Quàm meus è memori pectore cedat amor.
Vade valeq; diu mea gaudia docte Georgi,
Nestoris & superes secula longa senis.

Andreas Bohemus

Noribergensis.

Elegia

ELEGIA VALEDICTIONIS LO-
CO CONSCRIPTA A M. GEORGIO MAIORE
Noribergensi.

Summe parens rerum grates tibi pectore soluo,
Et solvam donec spiritus ossa regit.
Hanc tua clementer fouit quod dextra Sareptam
Haec tenus, & studijs fata secunda dedit.
Perdere quam Satanas conatur nocte dieq;
Dextra, qua fraudes insidiante parat.
Et certe multos tam non vixisset in annos,
Docta nouem coleret nonq; iuuenta Deas.
Hanc nisi fouisses, veluti sub turbine pullos
Alarum gremio garrula condit auis.
Hancq; tegas patria sic semper amore Sareptam,
Te precor omnipotens supplice voce Deus.
Atq; viros serues doctos qui recta docentes,
Hic nos in studijs & pietate regunt.
Deinde tibi memori persoluo pectore grates,
Pectore tum grates non simulanter agam:
Donec erit tellus, donec sol omnia flammis
Lustrabit, raucas dum mare voluet aquas.
Hac tua seruauit quod me clementia saluum,
Aonidum vt colerem musica sacra, schola.
Dexteritate docent in qua Tritonidos artes,
Praestantes varia cognitione Viri.

B 2 Tum

Tum pia sincerè pandunt oracula verbi,
Quæ veræ monstrant dulce salutis iter.
O vtinam possem deducere tempora longæ
Hic vitæ, & studijs deditus esse bonis:
Nil magis optarem, nihil & iucundius esset,
Cum sit in Aonia non nisi vita schola.
Auocat hinc verò me iam diuina voluntas,
Vt repetam patrij dulcia rura soli:
Docta Lycea igitur præceptoresq; valete,
A quibus accepi non numeranda bona.
Turba nouena vale, dulcesq; valete sodales,
Quos mihi sincero pectore iunxit amor.
Nominis haud uobis ueniât obliuia nostri,
Vestri ego constanter sic memor esse uolo.
Spiritus hic potius tenues reddetur in auras,
Tradere quàm Lethæ nomina uestra queam.
Nunc quia Pierides calamum suspendere suadent,
Cessabo imparibus iungere uerba modis.
Atq; relicta mei subeam quò tecta parentis
Incolumis, mecum quæso rogate Deum.

F I N I S.

153028

AB: 153028

ULB Halle
003 486 044


3



86

[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in columns and includes several large, decorated initials in red ink. Some lines are underlined with red ink.]





32

ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΑ,
SCRIPTA REVE
RENDO VIRO, PIETATE, VIR
TVTE ET ERVDITIONE PRÆSTANTI D. GEOR
gio Maiori Noribergensi, liberalium
artium Magistro, VViteberga
discedenti.



VVITEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.
ANNO D. M. LXII.

